

Christian Ohm    Andreas Brummer

## **Disputatio Sexta De Actionibus Ex Aliorum Contractu**


Rostochii: Pedanus, 1616

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788087274>**

Druck    Freier  Zugang











*N. K. — 2 (171.)*











DE  
ACTIONIBUS  
EX ALIORUM  
CONTRACTU,

*Quam*

*D. O. M. A.*

Consensu & autoritate Amplissimi  
Jctorum ordinis in celeberrima  
Rostochiensis Academia,

PRÆSIDE,


*Clarissimo & Consultissimo Viro,*

DN. CHRISTIANO Ohm  
J. U. D.

*Publicè habebit*


ANDREAS BRUMMER,  
Starg. Pom.

*Ad diem 26. Octob. in auditorio majori.*



Rostochl  
*Typis Joachimi Pedani,*  
ANNO M. DC. XVI.









### THESIS I.

**P** Ost actiones, quæ ex singulis contractibus nascuntur, proponuntur hæ, quæ ex aliorum contractibus in nos instituuntur. *Cujac. in parat. ff. hic.*

#### I I.

Ex illis prima est actio exercitoria, quâ in solidum tenetur exercitor navis ex contractu magistri quem navi imposuit, ejus rei nomine, in quam imposuit. *§. eadem ratione. 2. Inst. Quod cum eo qui in al. potest. l. 1. §. magistrum 5. §. §. licet. 20. ff. de exer. act. Cujac. d. loc.*

#### III.

Exercitorem cum dicimus, ad quem obventiones & redditus omnes perveniunt: sive is dominus navis sit: sive à domino navem per aversionem conduxerit, vel ad tempus vel in perpetuum, nec refert masculus sit, an mulier: paterfamilias an filiusfamilias, vel servus. Pupillus autem si navem exerceat, tutoris autoritas exigitur. *l. 1. §. exercitorem 15. §. §. seq. ff. b. t.*

#### I V.

Magistrum navis accipere debemus, cui totius navis cura mandata est, cujus conditionis sit magister iste nihil interest, utrum liber an servus, sed nec cujus ætatis intererit, sibi imputaturo, qui præposuit. *l. 1. §. magistrum, 1. §. §. cujus. 4. ff. b. t.*

#### V.

Sed si cum quolibet nautarum sit contractum, non datur actio in exercitorem quanquam ex delicto cujusvis eorum, qui navis navigandæ causa in nave sint detur



actio in exercitorem, l. 1. §. sed si 2. b. t. l. fin. §. 1. ff. naut.  
caup. stal.

V I.

Lex præpositionis diligenter servanda est nisi captio-  
sa sit. a) Quare si cum præposuit navi ad hoc solum, ut  
vecturas exigat, non ut locet, quod fortè ipse locaverat,  
non tenebitur exercitor, si magister locaverit: vel si ad lo-  
candum tantum non ad exigendum, idem erit dicen-  
dum. b) a) l. 1. §. magistrum 5. b. t. b) d. l. 1. §. igitur 12 ff. b. t.

V II.

Si in refectioem navis magister pecuniam mutuatus  
sit non aliter in solidum obligabitur exercitor, quam si  
creditor probaverit cum pecunia crederetur, navem in ea  
causa fuisse ut refici deberet, & quidem non maiorem  
pecuniam, quam necessaria erat, se credidisse. Interdum  
& illud æstimandum, an in eo loco pecunia credita sit, in  
quo id propter quod credebatur comparari potuerit.  
l. ult. in pr. §. 1. b. t. ubi Cujac. tract. 8. ad Afric.

V III.

Est autem electio, utrum exercitorem an magistrum  
convenire velimus & ideò si cum utro eorum actum est,  
cum altero agi non potest. a) Sed ex contrario exer-  
centi navem adversus eos qui cum magistro contraxerunt  
actio non pollicetur, cum sufficiat magistrum ex suo con-  
tractu conveniri posse. b) a) l. 1. §. est autem 17. §. 1. hæc  
actio 24. b. t. b) d. l. 1. §. sed ex contrario 18. b. t.

I X.

Eadem ratione, qua navigantibus prospectum est,  
terrestri negotiationi in iustoria actione Prætor subvenit,  
& ut exercitoria nomen habet ab eo qui præposuit, sic è  
contra in iustoria ab eo qui præpositus est tabernæ, aut  
mensæ, aut cuilibet negotiationi. Cujac. in parat. ff. de  
insti. act.

Datur



X.

Datur ei qui cum institore in commissa negotiatione contraxit, adversus dominum vel patrem qui præfecit.  
*l. cuscung. s. s. non tamen in ff. h. t.*

XI.

Ceterum exercitoriae & institoriae actionis eadem est ratio, quia is qui contrahit cum magistro vel cum institore, fidem ejus, qui præposuit sequi videtur, sed aliquanto major in magistro propter navigandi necessitatem. Hinc ex utraq; causa etiam domino quasi principali reo condici posse verum est. *s. eadem. & s. ult. Inst. quod cum eo quis inal. potes.*

XII.

Institores ex contractu tempore præpositionis celebrato post finitum officium rectè conveniri posse verius est. *arg. l. item si 7. s. interdum. ff. ad SC. Maced.*

XIII.

Introduxit & aliam actionem prætor, quæ Tributaria vocatur. Namq; si servus in peculiari merce sciente domino negotietur, & quid cum eo ejus rei nomine contractum erit: ita prætor jus dicit, ut quicquid in his mercibus erit, quodq; inde receptum erit, id inter dominum si quid ei debebitur & ceteros creditores pro rata portione distribuatur: & ideo tributaria vocatur, quia ipsi domino distributionem prætor permittit. *s. introduxit. h. t. Inst. Quod cum eo.*

XIV.

Quid tamen si dominus tribuere nolit nec hanc molestiam suscipere, sed peculio vel mercibus cedere paratus sit? Pedius refert audiendum cum quæ sententia habet æquitatem. Et plerumq; arbitrum in hanc rem Prætor debet dare, cujus interventu tribuantur merces peculiares. *l. illud quoq. 7. s. quid tamen. i. ff. de tribut. act.*

A 3

Hæc



XV.

Hæc actio & perpetuò & in heredem datur de eo  
duntaxat quod ad eum pervenit, quia non de dolo est sed  
rei persecutionem continet. *d. l. illud. 7. §. ult. & l. seq. b. t.*

XVI.

Actio tributoria propriè de servorum contractibus  
loquitur, est & actio, quod cum eo qui in aliena potestate  
est, negotium gestum esse dicitur, quæ ad filiosfam. perti-  
net, qui in patria potestate constituti contraxerunt. *tot. tit.*  
*quod cum eo qui in al. potest. Wes. in par. hic.*

XVII.

Filiusfamilias rectè contrahit & obligatur in solidum  
suo nomine, a) sed si post contractum emancipetur, aut  
exheredatus fuerit vel abstinuerit hereditate paterna cau-  
sâ cognitâ æquum visum est eum non in solidum conve-  
niri, sed in id quod facere possit. a) *l. ait prator. ff. b. t.*  
*Cujac. in parat. ibid.*

XVIII.

Quod dictum est filiosfamilias ex suo contractu pos-  
se conveniri interdum non obtinet propter Senatuscon-  
sultum Macedonianum, quod Senatus introduxit odio  
Macedonis foeneratoris, cui mos erat filijsfam. credere,  
tacito foenore & similia qui talia nomina sectarentur in  
perniciem parentum simul ac liberorum. *tot. tit. ff. & C.*  
*ad Sc. Maced.*

XIX.

Prohibet SCtum Macedonianum mutuas pecunias  
dare eis qui in potestate parentis sunt, ita ut ei qui credi-  
derit denegetur actio, tam adversus ipsum filium, filiam-  
ve, nepotem, neptemve (sive adhuc in potestate sint sive  
morte patris vel emancipatione suæ potestatis esse cepe-  
rint) quam adversus patrem avumve: sive eos habeat in  
potestate sive emancipaverit. *§. pen. Inst. quod cum ea qui in*  
*al. potestate.* Non



Non solum filiofam. & patri ejus succurritur: verum  
fidejussori quoq; & mandatori ejus, qui & ipsi mandati  
habent regressum, nisi fortè donandi animo intercesse-  
runt. *l. sed si. 9. §. non solum 3. ff. b. t.*

#### XXI.

Adeò verò filiosfamilias Senatusconsultum perpetua  
exceptione tuetur, ut nequidem huic renunciare valeant.  
*l. qui exceptionē 40. in pr. ff. de cond. indeb. arg. l. si quod 13. ff. b. t.*

#### XXII.

Cessat SCtum si paterfamilias esse credatur a) aut  
sciente patre creditum sit filio b) aut à minore accepe-  
rit c) aut paterfamilias factus debitum agnoverit novan-  
do d) vel solvendo e) & alijs quibusdam casibus. a) *l. si  
quis 3. in pr. ff. h. t. b) l. si tantum. 12. ff. b. t. c) l. si quis. 3. §. proinde  
2. ff. b. t. d) arg. l. f. ff. h. t. e) l. item si. 7. §. f. & l. 9. ff. b. t.*

#### XXIII.

Quod dicitur in eo qui studiorum causa absens mu-  
tuum acceperat, cessare Senatusconsultum: ita locum ha-  
bet, si probabilem modum in mutua non excessit, certe,  
eam quantitatem, quam pater solebat subministrare. *l. item  
si. 7. §. quod dicitur. 13. ff. h. t.*

#### XXIV.

Ordinarium prætor arbitratus est, prius eos contra-  
ctus exponere, eorum qui alienæ potestati subjecti sunt,  
qui in solidum tribuunt actionem: sic deinde adhuc per-  
venire ubi de peculio datur actio. Est autem triplex hoc  
edictum, aut enim de peculio, aut de in rem verso, aut quod  
jussu hinc oritur actio. *l. i. in princ. & §. 1. ff. de pecul.*

#### XXV.

Peculium est naturale patrimonium filiofam. aut ser-  
vo à patre vel domino scorsim à suis rationibus constitu-  
tum,



personis naturaliter debetur. Cujac, in parat. ff. h. t.

XXVI.

Ex contractu servi filijq; de peculio actio datur, ut de eo quod in peculio est actori satisfiat, deducto prius quod ipsi domino convento & alijs in potestate existentibus debetur, quia praevenisse dominus paterve creditur. l. sed si. 9. §. peculium 2. ff. h. t.

XXVII.

Si hi qui in potestate aliena sunt nihil in peculio habent vel habent quidem, non in solidum tamen: & actor, se ex jussu patris domineve cum ijs contraxisse vel id quod hi ex contractu consecuti sunt necessario aut utiliter in rem illorum versum esse docere possit, à patre vel domino, quod jussu & de in rem verso actionibus solidum consequetur. tot. tit. de in rem verso & quod jussu.

COROLLARIA.

I.

Parentes non tantum ex contractibus liberorum, sed etiam delictis statuto in solidum obligari posse ad poenam pecuniariam, non corporalem receptum est.

II.

Cum is, cui exercitoria, institoria aut tributoria competit, etiam de peculio & in rem verso agere possit: una intentata, succumbenti ad aliam actionem recurrere non licet, nisi justo errore circumventus minus rectam elegerit.

III.


Non solum vitam sed & facultates defendere concessum est, licet ob defensionem rerum occidere jura non permittant.

IV.


Insultatus fuga sibi consulere non tenetur.

V.


Æqualitas armorum in inculpatæ tutelæ moderamine non requiritur.






















Hæc sunt, quæ  
tate exarare atque  
circa has forsitan  
rias melius ex

VOTA VELVT

conscientia servari potest,  
quia ibi nihil potest hu-  
atio quoad DEUM est in-  
Brunneman. d. 1. §. fin. &  
ibid. ad §. 8. ubi ex eadem  
tentiam eorum, qui supe-  
ca votum, declarationem  
esse putat. Conf. Lynck.  
it. 34. §. fin.

tiarum pro ingenii tenui-  
potuimus; cetera, quæ  
tim, & minus obvias mate-  
rent, aliis relinquimus.  
eandem;

PATER, EXAUDI HINC  
VOTA!